

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0921

0919

0925

0915

0930

0910

0970

0870


1020

0820

0420

Ende

Anfang



348

Sapientiae 2.: Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Sic ergo in hoc specu Adam et Eva praeter Cain et Abel et Seth, quos Scriptura commemorat, alios XXX genuere filios. Methodius vero martyr centum eos genuisse commemorat filios in hoc antro, quod quasi pro nido pullificationis elegerant, indignum et inhonestum aestimantes, his vacare in locis publicis et communis habitationis; Et magno studio observabant locum illum, ne patens fieret et ne quis accessum eorum quovis modo percipere posset.

Perspecto igitur antro praefato egressi sumus et ab eo in clivo gyravimus contra aquilonem et cum hoc altius ascendimus montem et in aliam speluncam non modicam sed satis amplam venimus. In hac caverna Adam et Eva luxerunt centum annis filium suum Abel interfectum a Cain, et hodie cernuntur loca sessionis singulorum, et fons in eadem specu scaturit, de quo biberunt. Hic specus ideo dicitur specus fletuum. Hoc specu viso de monte descendimus in vallem angustam, quam nominant vallem lacrimarum. Dicunt enim, quod Adam et Eva communiter in hac valle morabantur et nongentos et XXX annos in ea vixerunt et ambo cunctis diebus propter inobedientiae reatum et paradisi ammissionem et justitiae originalis perditionem et posteritatis suae damnationem maximam et durissimam egerunt in valle hac poenitentiam. Quam ob rem non solum Dei misericordiam consecuti sunt, sed etiam prophetiae donum accipere meruerunt, unde et de Christi ecclesiaeque conjunctione, de diluvio futuro et de incendio per ignem iudicii multa praedixerunt liberis suis ibique mortui sunt et in speluncam duplicem deportati, ut patebit. In hac valle est sepulchrum Loth, filii fratris Abrahae.

De spelunca duplici, quam emit Abraham in sepulturam sibi et suis.

De valle hac lacrimarum ascendimus et civitatem Hebron reingressi sumus et ante domum praefecti civitatis stetimus, juxta quam etiam multi Sarraceni senes consilarii sedebant.